

Pi, l, l

REVISTA BRAZILEIRA

JORNAL

DE

SCIENCIAS, LETTRAS E ARTES

DIREGIDO

POR

CANDIDO BAPTISTA DE OLIVEIRA



P. 38
1951.



PUBLICAÇÃO TRIMENSAL

TOMO I



RIO DE JANEIRO

TYPOGRAPHIA UNIVERSAL DE LAEMMERL

RUA DOS INVALEDES, 61 B

1857

BOTANICA

ARTOCARPEA.

SOARESIA NITIDA — SPEC. GEN. QUE NOVUM.

NOMEN TRIVIALE : OITI, SIVE OITI-CICA.

DIOECIA.

Arbores cum celsioribus æmulantes; trunco cylindraceo, inferne 3-4 pedalis diametri, 40 pedes et amplius altitudinis; coma dense foliosa; cortice extus cinereo-nigrescenti, irregulariter rimoso, vastis lenticellis transversis asperato, lactis albi, spissi, innoxii pleno; ligno denso, ponderoso, durabili, coloris luteo-fuscato. Rami nascentes subgeniculati, epidermide brunea glabra vestiti. Gemmæ, lente observatæ, puberulæ.

Folia alterna disticha, plus minus incurvata, in masculo 2 - 2 $\frac{1}{2}$ poll. longa, pollicem pene lata, in fœmina ampliora; petiolis 3 - 4 linearibus, antice canaliculatis sustentata, ovato-oblongata, basi rotundata, apice acuminata, ambitu integra, glabra, superne saturate viridia, nitida, inferne albiora, nervo medio dorso prominenti, lutescenti, costis vix apparentibus, parallelis, fere transversis. Stipulæ squamæformes, fugaces.

Flores perexigui, perfecte unisexuales, e peractorum foliorum cicatricibus prodeuntes. Maris rami florigeri 1-1 $\frac{1}{2}$

pollicares, tenuiter pubescentes, leviter geniculati, geniculis bracteis munitis, e quarum singularum axillis receptacula amentiformia, gemina nascuntur. Receptacula cylindracea $1\frac{1}{2}$ - 2 poll. longa, basi parva portione nudata, cætero faciebus duabus, oppositis, convexis, staminifera. Stamina numerosa, solitaria, tegumentis destituta (*), fossulis receptaculi inserta, inter squamas peltatas minutissimas, margine fimbriatas emergentia: filamentis brevibus, antheris bilocularibus, subdidymis, loculis oppositis, longitudinaliter dehiscentibus: polline tenuissimo.

Fœminæ rami florigeri ut in mare. Flores e singulæ bractæ axilla exeunt geminatim; obque mutuam curvamen pedicellorum parum irregulares. Pedicelli lineares, apice bracteolis quator, subpeltatis, squamæ formibus, cruciatim oppositis, cupulam simulantibus muniti. Perigonium herbaceum, monophyllum, conicum, apice poro fimbriato apertum, ovarium totum obtegens. Ovarium uniloculare, ovulum singulum, anatropum, latere appensum continens; apice liberum cum stilo continuatum, cætero cum perigonio conflatum: stilo brevi, in crusecula duo, inæqualia, intus stigmatosa diviso, per aperturam perigonii exerto.

Drupa ovum columbinum magnitudine, et forma referens, glabra, lævis, lutea, basi bracteis pedunculi suffulta, apiculo ovarii poroque perigonii in summo notata: pulpa externa amylacea, fere insipida valde lactescenti, præsertim a perigonio constituta: endocarpio membranaceo. Semen magnum, quasi sphericum: epispermio tenuissimo, sublucido; rhaphe chalazaque reticulato-sparsis. Embryo albumine destitutus, rectus; cotyledonibus crassis, plano-convexis, inter se æqualibus, coloris intense viridis, lacte faretis; radícula brevissima, conica, apicem fructus spectanti; gemmula, minima, diphylla.

(*) An vero perigonia monandra, inter se coherentia, squamis peltatis extus munita, receptacula tegunt? Itaque eadem fabrica floribus utriusque sexus?

Hæ arbores inter illas numerantur, quas *legales* vocamus. In Provincia *Rio de Janciro* satis obviæ in locis tam montosis, quam depressis: mensibus hiemis nostræ folia magna in parte deponunt, nunquam tamen penitus nudantur. Octobre flores emittunt; maturatis Martio fructibus. Materies earum densa et durabilis, ut supra diximus, constructionibus navalibus, civilibusque exquisita prodest, superans etiam alias multas quia verminibus non afficitur.

Quoad characteres genericos ad *Brosimum* accedit, sed tamen ab illo distat, maxime fructibus omnino distinctis, embryonisque forma. Illeoque typum novi generis mihi constituere bono jure videtur: illudque in memoriam *Gabriel Soares* propono, Coloni Lusitani, qui aliquot annis in *Brasilia* vixit, terræ culturæ deditus, et historiam satis amplam rerum nostrarum tam civilium, quam naturalium composuit.

10 die Julii 1854.

FRANCISCO FREIRE ALLEMÃO.